

GK. 272.

Z e  
5575

ORATIO  
MEMORIAE ET HONORI  
VIRI CELEBERRIMI  
PAVLI SLEVOGTII

PROFESSORIS PVBLICI  
DICATA ATQVE HABITA  
IN ILLVSTRI ACADEMIA IENENSI  
A. D. XII IDVS MAIAS, M DC XCVIII

a X 2125094  
GE. NICOLAO KRIEGKIO.



UNIVERSITÄTS-  
HALLE  
(SAALE)  
BIBLIOTHEK

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

I E N A E

EX OFFICINA NISIANA.





Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the word "NOCTI" in large letters.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the word "AMIC" in large letters.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the word "NOCTI" in large letters.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the word "LEH" in large letters.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the word "AMIC" in large letters.







**S**I quae vnquam fuerunt saecula, quae  
grauium bellorum nobis reliquerunt  
memoriam, *Auditores ornatissimi;*  
nostra sane sunt tempora: haec acerrimorum  
grauissimorumque, quibus  
orbis terrae haecenus concussus est, longam referre  
possunt seriem. Neque vero pace iam parta bel-  
la deerunt turbulenta: immo inflammata potius,  
quam restincta videntur. Etenim audimus adpa-  
ratus terra marique maximos. circumstrepit vn-  
dique noua bellorum formido: effrenem hostium  
metuimus libidinem, caedes & rapinas: neque no-  
& periculosorum bellorum futurum sit. Equidem  
summi Reges atque Principes omnes curas & co-  
gitationes, omnem denique mentem hac tempo-  
rum calamitate in hoc solent figere, vt fines tuean-  
tur suos ab incursionibus hostium, qui nostro tem-  
pore, nec agros solum vicosque; sed & integras vr-  
bes easque longe amplissimas ceperunt, captas ve-  
xarunt




xarunt, vexatas incendio delerunt, & tandem solo misere aequarunt.

Haec dum ita cedunt, Deus nobis haec fecit otia, vt adhuc in studiorum amoenitatibus tuto nobis adquiescere, & ex iisdem vberiores fructus reportare liceat. Verum enim vero quando recordamur, quot per haec exitiosa bella euerlae sint praestantissimarum artium & doctrinarum officinae, iamque iaceant grauissime afflictatae, lacertatae; & quot musarum pulcerrima domicilia, ex quibus tot clarissimi olim viri prodierunt, belli cladibus vastata, depressa, & in contemptissima hostilis commeatus mutata horrea; exhorrescimus profecto & indolemus vehementer.

Sed Deo optimo maximoque cuius diuinae gloriae tam sancte dicatum est hoc omnigenae sapientiae ac virtutis delubium, laudes gratesque dicamus, qui illud in hunc vsque diem florere voluit. Deus cumulauit his beneficiis; Dei hoc ingens munus est, quod Academia ab ante acta aetate licet inter turbulentiores rerum status sarta tecta: & quod contra humani generis hostem capitalem ceterorumque malignorum, qui illam saepius interturbarunt, consceleratissimas machinationes altius caput efferat, Dei inenarrabili bonitati atque clementiae imputandum est.

In





In praesenti augustissimorum Principum, Nutritorum munificentissimorum benignitatem, erga hanc Academiam, qua nihil ipsis carius esse, luculentissimis declarant argumentis, non tacitam praetermitti; sed omni animi cultu prosequi eam oportet. Iphis a Deo si discesserimus referendum est omnino; quod inter tam aspera, in quae res aliorum adductae, discrimina, tempestates & calamitates viuamus etiamnum, & prae armorum strepitu iucundissima audiamus musarum adloquia.


Ex quo immensum numen supplices rogemus & obtestemur, ut seruet clementissimos Saxoniae Duces & Principes quam diutissime, coelestiumque donorum bonis adficiat exuperrime. Cuncti etiam grato semper praeconio celebrent propensissimam illorum voluntatem in optima litterarum studia, & tam inusitatam clementiam in hanc Academiam eiusque ciues prodant ad omnem posteritatis memoriam: tueatur atque ab uariatione defendat aeternus, benignus, praepotens que Deus hanc Academiam: ut omnes intelligant, esse illam domicilium coelestis veritatis, elegantiorum scientiarum, religionis euangelicae, humanitatis omnis & disciplinarum variarum, quibus mortaliū vita regitur & sustinetur. Faxit denique

A 3

Leus







Deus moderator & gubernator omnium, vt qui diuinae & humanae sapientiae cultoribus viam commonstrant rectam, incolumes fortunatique multos bene annos viuant floeantque.

Ceterum excubent Reges & Principes prouido pro regnis animo, vt sint tuti & muniti contra hostium insolentiam & temeritatem: ament parentque alii bella; postquam dexteriori Marte gefisse semel sibi videntur: conquiescant alii in aliis: nos intenti sumus praeclaris litteris, harumque vindices & statores semper nobis versentur ante oculos; praesertim quum nihil ad capeffendum ingenii cultum efficacius sit. Et quemadmodum pietas hortatur, vt in magnorum hominum natalibus prospera quaeque precemur ex animo: ita beata defunctorum fata, a longis etiam annis, venerabili cura recolere, inque eorum virtutes quibus praecelluerunt, intueri, & exempla exquisitissima imitari, fas aequae ac pium est.

Ego igitur ab hoc tantum absum, vt omitam, vt potius sequi me oportere laudatum hunc morem existimem. Oblectamur summorum virorum recordatione: scilicet vbi illi docere, vbi disputare, & commune bonum egregie tueri soliti sunt. Inter alios vero eruditione ac doctrina illustres



tres clarissimosque viros, quorum in nostra hac  
 Academia numerus ingens est, PAVLI SLE-  
 VOGTII Professoris hac in Salana celeberrimi  
 memoriam refricare placuit in praesenti. Attamen  
 quanquam clarissimum nomen & ingentia huius  
 viri merita, & singulares ingenii dotes ubique prae-  
 dicantur: pietas tamen hortatur, vt illustre tantae  
 virtutis exemplum silentio non praetermittatur;  
 sed quod non Academiae modo nostrae, sed & orbi  
 litterario magno fuerit ornamento commendetur  
 publice.

Consueverunt Romani, qui omnium gentium  
 homines praestiterunt virtute, armorum gloria &  
 magnitudine rerum, idque dederunt sollicite ope-  
 ram, ne, quotiens egregiorum virorum virtute  
 orbarentur, haec post illorum obitum ingrato si-  
 lentio oblitteraretur; sed citius grata seruaretur me-  
 moria. Magni enim ad emendatum cultum in-  
 teresse putabant, qualis quisque in vita exstitisset;  
 quaeque illorum merita, quae publicae antea rei  
 litterariae concessa; & quae iam in morte amif-  
 sa fuerint, cognoscere diligentius. Apud Graecos  
 eandem & paullo vetustiore inoleuisse consuetu-  
 dinem, prisca annales produnt.

Beatus SLEVOGTIVS, de quo iam ver-  
 ba



ba facturus sum; non indiget certe laudatione nostra; virtutis ac meritorum sempiternam habens memoriam: neque vero ego ea de causa prodeoque, ut magnis filiis collaudem parentem suum, quem nemo vnquam reprehendit. Sed ideo haec qualiscunque commendatio instituitur, ut & ego optime merito gratum probem animum post pia fata; aliique quibus & feliciter ingenium, & beatam magis dicendi copiam natura largita est, ad maiora erigantur.

Atque liceat mihi hac occasione priuatam quoque pietatem profiteri publice: qua satisfacere debeo JO. PHILIPPO SLEVOGTIO hodie Rectori magnifico, viro mea supergresso praeconia: tanta enim magnitudo est huius erga me beneficiorum, ut quia ille studiis prospicere meis non intermittit: ego hac rudi & impolita oratione aliqua ex parte tester, quantum illum venerari & colere oporteat. Me nullus itaque infimulabit ambitionis, aut leuitatis illius, qua non pauci iuuenes cathedram qui adscendunt, vanis interdum causis permoti, inconsiderate & temere omnia efferunt; & ea, quorum laudes effutiunt, superba adulatione tribuunt, quae merito neganda sunt illis: quod nec propter virtutem, nec eruditionem, apud  
erudi-



eruditos in honore aliquo atque pretio fuerunt. Neque vllus, vt spero quidem in me criminabitur, quod ego in tanto coetu genere, virtute & doctrina conspicuorum lectissimorumque iuuenum surrexerim; qui ingenio aut aliqua dicendi facultate plane non polleo. Praeter ea etiam audacis animi suspicionem effugere posse arbitror, si dixerō, me de voluntate & indultu excellentissimi GEORGII SCHVBARTI, Academiae Ienenfis Polyhistoris clarissimi, Praeceptoris mei aeternum venerandi facere: qui vt rectiora studia, atque iam in his Oratoria exercitia enixe procurat, & non tam praecepta tradit luculenta eloquentiae, quam per illustria magnorum hominum exempla demonstrat, quomodo feliciter eant, qui ingenuis studiis artibusque delectantur. Ita vero hanc praeclaram operam & laborem humanioris litteraturae cultores celebrabunt per omnem vitam, & felicitatem valetudinisque prosperitatem caste pieque mecum precabuntur a Deo conseruatore optimo.

Nunc augeatur honore incomparabilis SLEVOGTIVS, cui nullus honor tribui non debitus potest: grati simus in merita extollenda; quandoquidem nullam nos aliam referre possumus gratiam. Ego etiam atq; etiam dico, quod tanti viri lau-

B

des



des non decantare, aut vitam digna oratione persequi queam. Praeclara quidem videor suscipere, eadem vero efficere posse abiicio animum; sed voluisse etiam satis sit, & inde iudicetur candidis animi notio. Hoc vero dum facere & adgredi volo, a vobis, *Auditores*, beniuolas aures maiorem in modum contendo; quas mihi etiam ex beati & venerabilis viri meritis, quibus stimulamini, amplissimis, hac spe fretus polliceor.

Ne igitur quam ob rem huc conuenistis, pluribus vos morarer: dicendi mihi exordium erit de SLEVOGTII nostri patria. Deinde dicam quibus disciplinis, & a quibus eruditus sit: tum de dignitatibus, & si quae alia digna memoria erunt; postremo de beata morte quam breuissime agam. Primum locum occupat patria quae Thuringia est: superioribus annis opulentissima beatissimaque regio: nunc frequentia populi, numero urbium, salubritate coeli & soli benignitate vberrima; amoenitate limpidissimorum fontium fluminumque decursu, atque aliis naturae beneficiis instructa egregie. In hac est pagus Possendorffii nomine adpellatus, qui ab vrbe Vinaria cultu purioris doctrinae euangelicae, & fama praecellorum Principum inclita, non longe abest, vbi anno superioris

ris



ris saeculi nonagesimo sexto auras vitales carpe-  
re coepit.

Quemadmodum vero magnos homines virtu-  
te metimur non fortuna, nobilitate aut locorum  
vilitate: ita neminem vel hoc natale solum, vel  
SLEVOGTIVM idcirco adspernaturum confido.  
Deus enim est, cuius bonitate nascuntur, & in lu-  
cem eduntur homines: ille facultatibus ingenii ex-  
ornat; & ab illo magnus & excellens animus tan-  
quam a sole radius demittitur. In aliis & animi  
& ingenii celeres motus adparent, qui ad excogitan-  
dum acuti, & ad explicandum ornandum que  
sunt vberes, & ad memoriam firmi atque diutur-  
ni: deprehenditur in aliis acumen, quod vel oc-  
cultissima perspicit: in aliis elucet sensus hebetes,  
tardi, & ad intelligendum difficiles. Hinc facile  
concedet etiam, cui mens intentior est, ad sapi-  
entiam non item facere loca: atque ille sapienti-  
orum iudicio versatur magno in errore, qui vel ex  
sola maiorum gloria, vel patriae celebritate atque  
eiusdem vilitate ferre iudicium ausit.

Tametsi Pindarus generatus, atque in lucem  
editus crasso in aere Boeotorum, gente rudis & in-  
conditi sensus: tamen in meliore Poetarum nume-  
ro habendus est: neque quis obiiciet generis igno-  
bilita-






bilitatem Corinnae, Epaminondae ibi & pariter  
natis educatisque. Democriti prudentia laudatur  
ab omnibus, licet in veruecum patria viderit lu-  
cem & adoleuerit. Nemo est qui nesciat, Thra-  
ces homines vinolentos, rebusque venereis deditos  
ostentare Linum, Orpheum, Musaeum, Phae-  
drum, quorum ingenii, doctrinae, iudicii que vim  
admirabilem miramur hodie. Aesopus Phrygi-  
am habuit patriam, cuius ignotissimae genti ni-  
hil sapiebat politioris litteraturae; vetus ac peruul-  
gatum prouerbum est, illam nisi plagis non fieri  
meliolem. Equidem non inficiandum, *Audito-  
res*, splendidum locum, patriam celebrem inter  
felicitatis humanae partes numerandam esse meri-  
to: quod suo etiam tempore Simonidem iudicasse  
atque Euripidem habemus cognitum; patria nimi-  
rum gloriosa natum esse debere, qui beate viuere  
velit.

Inter vero ea nulla est tam cultu aspera igno-  
bilisque gens, apud quam selectioris doctrinae  
genere non excelluerint subinde decora ingenia:  
sicut e contrario apud populos, qui sapientiam  
pretio suo aestimarunt, habitique virtutum lau-  
dibus clarissimi, reperti sunt homines obtusi, in-  
epti & litterarum admodum nihil scientes. No-  
uimus






uimus inter Athenienses, vnde humanitas, doctrina, caerimoniae, iura, leges ortae atque in omnes terrae partes distributae putantur, vecordem numerari & obliuiosum Meletidem: Thebanos vero, Cares, Phrygas, qui propter stuporem indocilem, linguae debilitatem, ingeniique tarditatem apud plurimos male audiunt, decorarunt aliquando praestantes animae. Ex his adparet, coeli commoditatem solique benignitatem non parum conferre ad ingeniorum felicitatem: inesse enim suum cuique regioni genium, non secus ac corporitemperamentum, quo occulto modo producantur ingenia, neminem clam esse potest. Memoria dignum est, quod legitur in diuini Platonis monumentis: scilicet Mineruam, cum sapientiae atque doctrinae omnis procreatrices Athenas condi uolisset, regionis potissimum naturam, quae eximia promitteret ingenia, spectasse. Sed quo dilabor, redeo ad propositum.

Constat inter sapientes omnes, magnos homines a renatis litteris extulisse Thuringiam, nullique regioni esse secundam. Si temporis ratio permitteret, multos, mihi credite, *Auditores*, enumerare possem, quorum virtutes summas omnium fama post plurimorum etiam annorum decur-





sum celebrat: atque viuunt hodie eruditissimi ho-  
mines, qui nati in Thuringia, cuique tanta inge-  
niorum copia maxime tribuenda est. Inter do-  
ctos viros, qui beate defuncti sunt, noster SLE-  
VOGTIVS principem tenet locum. Nam postquam  
in culta & ampla natus est patria, illa se maxime di-  
gnum praestitit, & vt Stagirites acutissimi in-  
genii philosophus hortatur, eam magis ornauit.  
Patrem habuit Martinum Slevogtium virum pi-  
um & honestum; Matrem Annam Sundhausi-  
am sinceræ pietatis cultricem, spectatique exem-  
plifeminam. Non opus est, vt nunc honestum  
horum ego genus ab auis atque atauis repetam.  
quas Rhetorum ostentationes deridet Hieronymus.  
Magnis in laudibus SLEVOGTIVS est, quod hanc  
curam habuit antiquissimam, generi suo dare po-  
tius splendorem quam vt faciunt plurimi, mutuari  
ab illo. Nouerat probe Senecæ egregia verba,  
*non quendam facere nobilem atrium plenum fumosis  
imaginibus, neminem in nostram gloriam vixisse, nec  
quod ante nos fuerit nostrum esse. Animum facere  
nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam  
liceat surgere.*

Parentibus laudatis simulac cara haec soboles  
a Deo concessa, nihil prius ipsis fuit, quam vt per  
sacrum



sacrum baptismi lanacrum regeneraretur, in quo  
 & Pauli nomen inditum est. Vterque magnam  
 adhibebat diligentiam, vt religionis purae dogma-  
 ta inter tenerrimae aetatis primordia addisceret;  
 & per diuini numinis reuerentiam adolesceret in  
 patriae spem, solidumque parentum solatium.  
 Aduertebant pii parentes bonam filii indolem,  
 quare honestissimis illam liberalium artium studiis  
 destinandum arbitrati sunt. Frequentare scholam  
 iubebatur, & vix aetatis annum egressus octauum  
 committebatur pijs & intelligentibus homini-  
 bus, quorum cura augetur annis ad bonam  
 frugem perductus est. Factum etiam est, vt in-  
 stitutions ac disciplina illorum probitatem & ne-  
 cessariarum rerum intelligentiam, quae modo tan-  
 ta teneritudo capere poterat, adipisceretur.

Qui terrae viscera peruestigant metalla ex  
 iis pretiosa, lapidesque nobiles eruunt: quos po-  
 stero tempore manibus polientis artificis tradere  
 solent, vt pretium quod in se habent, consequan-  
 tur: illa enim rudia in mineris; hos impositos in-  
 ueniunt, quibus tamen innatum splendorem ma-  
 gna reddunt industria. Simili ratione bonorum  
 parentum est, filios a matre genitos editosque e-  
 rudire in liberalissimis artibus, & elegantissimis  
 polien-



poliendos moribus tradere aliis. Nascuntur, & sunt velut rudis & indigesta materia, ad virtutis tamen studium atque scientiarum pulcritudinem & varietatem perquam apta. Arbores cum tenerae sunt caeduntur tempestive, colentisque manus luxuriantes ramulos recidit, & quicquid innascitur iis noxium, purgat atque defringit: quin immo identidem firmo fulcimento iuvat, ne quovis vento aut spurca tempestate deiectae sterilecant, & tortuosae reddantur. Ita nullum tam felix est ingenium, quod non degeneret, si in primis annis recta caret educatione, & mala disciplina deprauatur. Eodem parentes ingenio utantur oportet, paremque navent operam in liberis qua ingenium qua mores formandis: dum instar cerae molles sunt, ac cujusvis effigiei capaces, illi doctrina multiplici & magna arte mature excitandi & excolendi sunt. Quo ubi rationis usus accesserit, atque habitum illum dijudicandarum rerum major aetas attulerit, nullo impedimento cursu utuntur feliciori, utpote virtutis, pietatis, frugalitatis, & innocentiae exemplis integre adsueti.

Certo olim tempore ex Atheniensibus quidam delecti Delphos missi sunt, qui consulerent Apollinem, quid facerent, ut magnum sapientium

um



um virorum prouentum aetas efferret illorum. namque Athenienses ex sollertia in intelligendo, & in gerendis domi forisque rebus prudentia cum primis aestimari volebant, cum populi alii alia haberent in deliciis. His consulentibus confestim Apollo respondebat, vt vigili studio curaque tenerorum animis instillarent, quae essent vera iuxta duraturaque omnia. Id si facerent publicam illorum rem beatam futuram. Hoc oraculi responsum eo tendebat tum maxime, vt doctrinae praestantia, elegantiaque morum, & modesto vitae habitu instruerentur, & ad futura munia sollicitissime praepararentur pueri.

Atque est profecto res maximi momenti, quibus imbuamur & consecremur studiis in aetate teneriore: etenim quando mature traduntur rectiora: commoditatem totius vitae habemus ab illis. E diuerso vbi in inepte doctos & arrogantes magistros incidimus, quorum est passim incredibilis hodie numerus, a vero studio longissime abducimur, & sumus infelices miserae disciplinae alumni, partim vilia, partim falsa tam longo complexi tempore.

Beatissimo viro non defuit quicquam in florentissimis annis. Non potuisset autem tam facile

C

le



le emergere, nisi puer olim fidelissimis atque aman-  
tissimis praeceptorum consiliis adiutus fuisset: qua-  
re in hoc paucissimi adeo felices sunt, vt illum  
fuisse, iam intelligimus. Vinariense Lyceum  
id probat etiam, quo fauente Deo concessit & mira-  
ibi indolis capacitate, tenaci admodum memoria,  
generoso discendi ardore superauit aequales, clari-  
usque exsplenduit condiscipulis. Ita vero in prima  
adolescentia studia tanquam in herbis significa-  
bant, quae virtuti maturitas, & quantae fruges  
industriæ futurae essent. Praeceptores habebat  
doctos & claros, qui tam capacem, attentam,  
perspicacem, morigeramque indolem iuuabant,  
& voce, praeceptis & exemplis in singulos dies  
concitabant. Clarissimi viri Ioannis Friderici  
Bechmanni id temporis Conrectoris, deque pube  
litteris dicata insigniter meriti beniuolentiam con-  
sequebatur; sub cuius oculis proficiebat quotidie,  
atque ad accuratiorem latinae & graecae linguae  
cognitionem poeseosque penetrauit rectissime. In  
quo igniculi a natura insiti, omnisque boni studii  
notae tam clare adparebant; hunc ad omnem lau-  
dem verumque decus cohortabatur serio. Et vt  
ne diuini SLEVOGTII inclinationi, quam  
*ἰνφύια* sagacissimus Aristoteles vocat, deesse quid  
videre-



videretur; accessit aliorum idonea institutio, qua nihil in iuuentute praeclarius est. Hac ex re fiebat, ut non nisi salutaria hauriret, quaeque ad pleniorum sapientiam adprime facere credebat, aude captaret: & postquam fundamenta rite posita, auctor erat efficax satisque certus de bonitate ac profectu ingenii Georgius Saltzhuberus Rector bene meritus, ut in academiam tanquam bonarum artium mercaturam nunc proficisceretur. Qui in schola Vinariensi bonarum mentium officina, ultra communes lineas iam tum processerat, doctrina & lingua veterum animum imbuerat, ad maiora prouehi poterat. Academia Salana tunc florebat magnis ingenii ac studiis doctissimorum hominum, quam anno millesimo sexcentesimo decimo quinto ingressus.

Neque vulgi more lectiones audiebat academias, aut perfunctorie studia adgrediebatur: sed humanae primum sapientiae sacrisque linguis se mancipabat. Nos non fugit *Auditores*, quam vana plurimorum ausa sint in scholis, gymnasiis ac postea academiis: ibi philosophicis quaestiunculis delectantur magis, quam iis quae ad eruditionis elegantis vberiore & perfectiorem rationem adducunt. Legere praestantioris notae scriptores



vel non recte docentur, vel si hoc fuerit, secure eos contemnunt; id sibi persuadentes sublimiora condiscenda esse in academiis. In horum numero non fuit SLEVOGTIVS: ad philosophiam & grauior- res disciplinas ceteras necessaria adferebat praesidia: & dici non potest, quanto mentis ardore profecutus fuerit bona studia. Inde non potuit fieri aliter, vt paucos annos heic commoratus, magna cum gloria impetraret philosophiae iura magisterialia a Wolfgango Heidero praeclari nominis philoso- pho & oratore. His decoratus stimulabatur, vt nobiles animae solent: his non tam cordi est sapi- entia, qua nihil est praestantius, instruere & locu- pletare ingenium; quam cum aliis communicare, & quae infatigabili addidicerunt nisu docere pari- ter. SLEVOGTIVS noster praeclarus & eximia do- ctrina praeditus magister erat: nugacissimis nugis non immorabatur; quae vanitatis plus continent quam vtilitatis, & subtilitatis plus quam solidita- tis, bonaeque mentis onera sunt, nihilque habent, quo pascatur animus, & cortices sunt sine grano & nucleus sine medulla. Sed quicquid habebat philosophia abditum, & philologia praeclarum, felicissime emetiebatur. quod vix centesimus fa- cere potest. Permittite, quaeso, *Auditores*, vt huius  
studia



studia philosophica & alia egregia ingenii documenta paullo prolixius considerem, & ad aemulandum imitandumque recenseam. Quantum tribuunt alii vanis rebus, amicorum salutationibus; quantum aleae, quantum ceteris otii inertis oblectamentis: ipse sibi ad eas artes perdiscendas celebrandasue sumsit, quarum fructus in omni vita est maximus. Suspiciamus tam rarum exemplum quotidie: opponamus illud vasto ingruenti agmine barbariei: vbi meliores litterae prostratae & conculcatae videntur. Introspiciant illi qui cassi ac rudes ad academias conuolant, & ruunt imprudenter in disciplinas. Reuocent in animum docta SLEVOGTII studia; qui tam peruerse & supine iis operantur; perpendant ii qui praecipitant vota & ad theologiam, iurisprudentiam ac medicinam adplicant se sine praesidiis. Eiusmodi autem homines magno ecclesiae & reipublicae detrimento publicis deinde adhiberi officiis, quis ibit infitias?

SLEVOGTIVS per gradus vt in disciplinis fieri debet, non saltus pergebat: neque enim aliam fere rem magis necessariam studiis putabat, quam bonum ordinem: satis intelligens, per certas vias & itinera recta, quo tendat pergendum esse, si



ad altiora velit eniti. Postquam ingenuae & liberali philosophiae praecipue inuigilauerat; sanctioribus disciplinis, & linguis orientalibus studiosius se addicere coepit. Tempore interiecto philosophiae & philologiae scholas aperuit, proponens in iis ista omnia, quae ad habitum in liberali doctrina faciebant. Sic praeclariorem famam sibi conciliauit; & ex quo in coetu iuuenum studia inuicem aemulantium, eruditas habuit disputationes, in oculis & ore fuit meliorum. Cathedram non adscendebat, ut plausum captaret vanum, sicut ex inani ac deridicula ostentatione, haestati hodie magis quam docti disputatores faciunt: sed ex modestia, cui in omni vita operam dedit, peragebat singula.

Virtutis ea est ratio quae flammae surgentis, delitescere diu non potest: sic cognita SLEVOGTII virtus mox adsurgebat, & tot eximiae, quibus praestitit, animi dotes. Inueniebat miratores & aestimatores facile, qui honores ac praemia virtuti eruditionique debita referrent. Hinc etiam diuino prouisu factum est, ut ab amplissimo Senatu Brunsvigensi ad Correctoris munus gymnasii Martiniani exornandum vocaretur: quod ut non adspernabatur; ita cum annus millesimus sexcen-



sexcentessimus vicesimus primus laberetur, ex hac Academia fausto pede illo abiit; praefuitque illustri gymnasio cum fide & industria.

Et multum sane ad ecclesiae & publicae conseruationem rei interest; qui gymnasiis & scholis admoueantur magistri. qui iuuentutis desidiofae mores emendent, a lubricis adolescentiae viis trahant, & quod in bonis studiis excellens, & in scientiis melioribus durabile perdoceant; vt salutaria quaeque cum vero sensu & intellectu capiant. Eiusmodi vero institutionis pauca iam exstare vestigia, nemo non fatebitur. Argumento huius esse possunt, quod eos ad regendas fere scholas vocari videmus; qui vix in academiis cogitarunt de his sacris intelligendis; tantum abest vt iuuentutis studia, consilio & opera, recta via ad verum finem dirigere queant. Si enim quaeratur, quam ament docendi methodum. quomodo cum fructu legere & bene imitari Latinos & Graecos auctores praecipiant discipulis: quos etiam eligant pro captu ingeniorum, nouum quoddam modo non ineptum, iactant studium, vestigiis non insistentes veterum.

Optime SLEVOGTIVS consulere iuuentuti sibi permissae, & laborem scholasticum subire poterat.



terat. Excultor enim follers bonarum litterarum in schola & academia fuerat semper, & in his artibus praeclare versatus. Vnde quam expectationem sui concitauerat bonam, sustinebat ac tuebatur masculine. Et quoniam tam singulari ingenii venustate, solida eruditione & prudentia in formanda iuuentute egregia praeditus erat, plurimum amabatur a senatoribus nobilissimis: atque ea propter omni cultu, veneratione, honore adfectus. Huius noui muneris auspicia eo feliciora certe putanda sunt, quod ipsi insignes iureconfulti & rei publicae syndici amplissimi, Caspar Glockius & Ioannes Cammannus, iam tum mirifice blanditi: quorum beniuolentia beneficiisque ornatus cogitabat de maioribus. Accidit breui post tempore, quod referendum omnino est, vt ibi cum legato Caesaris Ottone Melandro viro illustri in colloquium veniret: atque cum de elegantioribus studiis imprimis poesi, quam sapientiae contubernalem vocant, colloquendi tempus sumeretur: per id statim patebat summo legato, quis sit SLEVOGTIVS, ac quibus prae aliis dignus habendus esset. Et vt salubris aeris & coeli temperies in causa est vbertatis frugum: ita ingenia & artes alit honor, & magnorum hominum fauor



uor atque benignitas auget incenditque ad studia gloria. Hoc legatus faciens ipsum fouebat liberalissime; & quia facultate praeditus poterat, coronabat laurea, quam propter ingenii & eloquentiae dotes olim etiam meritis: nunquam tamen ambitiose adfectauit antea, neque in praesenti contempsit. Ne autem nouo hoc honore indignus censeretur ab aliis; poeticam praeclaram emendatricem vitae colebat vehementius, maius ut in reliquis studiis haberet ornamentum. In grauioribus studiis habebat illam oblectamentum; & Gregorii Nazianzeni exemplum secutus, fidelem piorum animi sensuum interpretem. Iam ab illo tempore, cum in schola esset, augurabatur laudatus Bechmannus de SLEVOGTIO: quod non augurium eum fefellit: impertitum testimonium, & gratulatio fuit sincera. Tametsi autem carmina ab ipso concinnata nulla sint super, aut in his meditata alia: tamen veris celebratur praeconiis a prudentioribus, quod poeta fuerit iucundus, tersus facilis, grauis & ingeniosus.

Non me frustra hoc loco referre videor *Auditores*, quae apud Brunsvigenses praestiterit amplius. Cum superioribus annis inter Danielem Hofmannum professorem & theologum Helm-  
D
stadien-



stadiensem, & magni nominis theologos mira  
 controuersia esset: vbi ille duplicem faceret verita-  
 tem, philosophicam alteram, alteram theologicam;  
 & quod in philosophia verum esset, in theologia re-  
 uelata falsum, & quod in hac verum, in illa falsum  
 esset. Resistebat ipsi & contra omni ratione pu-  
 gnabat beatus Albertus Grauerus theologiae pro-  
 fessor Ienensis, ac demum superintendens gene-  
 ralis Vinariensis, non intestini belli amore ductus;  
 sed vt Sociniani Goslauii, qui in disputatione sex-  
 ta & decima Keckermanno opposita errorem il-  
 lum ecclesiae Lutheranae sine discrimine tribuit,  
 calumniam retunderet, id quod in *tractatu de v-  
 nica veritate* pluribus persequitur. In tam recen-  
 ti controuersia SLEVOGTII etiam sententia expo-  
 scebatur a viro quodam praeclaro: hic vt philolo-  
 giae, philosophiae, & theologiae accuratius inten-  
 tus; ita ipsi non difficile erat, dicere quae &  
 iudicaret & statueret. Hinc scribebat *peruigilium*  
 de dissidio theologi & philosophi in vtriusque  
 principiis fundato, non tamen vt publicaretur illud  
 vnquam.

Animi quidem ardorem aduersus theo-  
 logum istum ita temperauit, vt non adhiberet  
 vllam




vllam calumniam, sed falsam opinionem erro-  
remque turbidum ostenderet; quo liberari illum,  
ecclesiaeque salutem & incolumitatem esse, vo-  
tis expetebat omnibus. Sed dum scriptum istud  
perlectum iterum iterumque; insciente SLEVOG-  
TIO est diuulgatum. Hoc paullo post percrebuit  
atque in sermone omnium coepit esse. Summi  
etiam viri in academiis, aulis & ciuitatibus testa-  
bantur de eo & mirabantur partim acre ingenium,  
partim prudens sincerumque iudicium. Hic etsi  
gloriam hoc, quod ingenii tantum exercendi caus-  
sa elaborauerat, specimine non quaerebat, ve-  
ram tamen nec ita multo post accepit.

Elapso triennio vel pertaesus aliquantum  
scholastici pulueris: vel quod ad altiora perficien-  
da natus esse videretur; dulcissimam visitabat pa-  
triam: reputans apud animum Platonis illud, quod  
non nobis solum nati simus, sed ortus nostri par-  
tem patria sibi vendicet, partem parentes, partem  
amici. Cum igitur Vinariae primam concionem  
haberet, praeclarasque animi dotes explicaret o-  
ptimis: aeterni numinis dispositu factum est, vt  
serenissimis Saxoniae Ducibus innotesceret: quo-  
rum clementia salus SLEVOGTII & studia ita am-  
plificata sunt, vt nihil addi potuisse visum fuerit.

D 2

Etenim





Etenim ad senatum Brunsvigensem confestim datae litterae sunt, missionem complectentes: qua tandem impetrata, optimi Principes stipendio eum in hac Academia, eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis tum affluente, ornarunt largiori, quo magis in coeptis effloresceret.

Haec inusitata principalis erat gratia: qua non tantum Academiae, sed & orbi litterato prospiciebatur de viro diuinarum & humanarum rerum intelligentissimo: qui tota mente, omnique animi impetu in Academiam & publicam rem litterariam incumberet, amaret & illustraret. Hos sumtus non potuissent melius ponere indulgentissimi Principes. Postquam enim summus suae memoriae theologus SALOMON GLASSIVS, in hac Academia olim professor graecae & hebraicae linguae praeclarissime meritus discederet, ad pastorum, ut vulgo dicitur, Sundershusanum primarium sustinendum: SLEVOGTIVS communi inclitae Facultatis philosophicae consensione denominatus; & sine difficultate vlla GLASSII, cuius diligentia institutus & imbutus, constitutus est successor, pari nominis celebritate ad relictam spartam exornandam. Anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto ad III. Calendas Martii more sollemni



sollemni habebat orationem de monstrositate Papismi: illam cum ex aliis, tum vel maxime ex innumerabilibus haeresibus, quae in eo confluxerint, non minus ac impurissimae sortes in foeda sentina pro temporis ratione deducebat. Ad VI. Calendas Martii auspicabatur lectiones publicas: differuerat autem antea de graecae & hebraicae linguae praestantia, quod fontes illae sint, & ianuae, per quas pateat aditus, non ad sapientiam solum, quam omnes adpetunt; sed etiam ad Romanum sermonem, quo vniuersa utitur Europa. Necessitatem illarum declarabat ex superioris saeculi barbarie, vbi neglectis & contemptis linguis obruta fuerit fides, amissa purior religio & omnia densissimis ignorantiae tenebris sepulta: sed postquam linguae effloruerint iterum, salutaris euangelii lux statim coeperit illucescere. Egregie docebat praeterea SLEVOGTIVS, non illustrare modo veram de Christo doctrinam, sed & ducere ad vniuersam philosophiam & artes alias vitae humanae, quibus nihil est praestabilius; & quod quis latinus scriptores recte intelligere non possit, si graece nesciat & hebraice. Ostendebat porro ausos nonnullos quidem esse, intra Latium se continere, vt ne graeca adtingerent, nec hebraica: quos



inter fuerit Varro, Isidorus, Lombardus, Pomponius Laetus Calaber & alii, qui proinde exotica suis ad censuerint, & latinas eorundem quaesierint etimologias, sed infeliciter & cum cachinno posteritatis. Inde Pascha ipsis dictum esse a passione, Diabolus a duobus bolis: Presbyter prae aliis bibens ter, Dialectica duo in lectica & similia.

Quae laudabiliter ab eotam in honesto munere peracta sint, ostendunt disputationes philologicae, quibus nihil est doctius. Vt ex his aliquas tantum proferam, disputauit olim de metamorphosi Iudaeorum, occasione loci apud Matthaeum capite decimo sexto, versu decimo tertio, ubi obiectiones & exceptiones Iudaeorum aliorumque fanaticorum mascule refutauit. Pari sollertia conscripsit disputationem de morbis & doloribus Messiae in sanctissimum vaticinium Esariae capite quinquagesimo tertio: in hac Isaacum Abarbanelem Iudaeorum alias doctissimum; de quo & iudicant sapientes, quod inter interpretes solus nugari desierit, acriter refellit, ceterosque Rabbinos populo Israelitico locum tribuentes explosit: liquidissime ex Gemara probans, quod de Christo seruatore nostro vnico veteres Rabbinii etiam intellexerint. De proselytis Iudaeorum ad illu-  
stran:



strandum locum Matthaei capite vicesimo tertio, versu decimo quinto prolixè & perdocte disseruit. Similiter quae legimus in disputationibus de anno iubilaeo & eius iuribus apud Ebraeos occasione Leuitici capite vicesimo quinto; de hellenisticae vsu in scripturae interpretatione, de ephemeris sacerdotum testamenti veteris & aliis disputationibus philologicis in loca scripturae sacrae insigniora, probant maxime ex omnibus, quod vir fuerit acri ingenio, & magna doctrina, qui tam perspicua, tam selecta reliquerit omnia.

Qui beatissimi viri manus scriptas lectiones in nouum testamentum possident. sunt autem in manibus eruditorum, & allegantur a multis: illi rariorem eruditionis reconditae thesaurum habere laetantur. Id enim dabat semper operam, & in illam curam incumbere, vt, quod multi in lingua ebraea prolixitate; confusione plurimi peccent; dum ea in limine obtrudunt, quae vel taedium pariunt discenti vel obiiciunt remoram; prolixitatem, quae inutilis, & confusionem, quae vbique pernitiōsa est, euitaret: ac quod omnino fieri debet, relictis primum difficilioribus, simplicem & apertam monstraret viam sanctorum linguarum cultoribus; deinde quae obscura & difficilia




ficilia traderet praeparatis animis fidelius. Grae-  
ca vberissimo cum fructu discentium eadem quo-  
que methodo tradidit; atque ex vsu iuuentutis fe-  
cit omnia: ita illustravit rem litterariam: ita  
bibliis vtriusque linguae explicandis multiplicem  
detulit operam, cuius itaque memoriam nulla  
vnquam delebit obliuio.

Sicut vero Ciceroni videtur amplissimus,  
qui sua virtute in altiore locum peruenit, non  
qui adscendit per alterius incommodum & cala-  
mitatem: ita SLEVOGTIVS noster per honesta &  
recta semper processit. In hac sparta, quam nactus,  
& per aliquot annos tam egregie ornauerat, non  
permansit diu: sed ab obitu Danielis Stahlii in-  
comparabilis philosophi & priscae sapientiae vin-  
dicis acerrimi, demandata fuit a maximis Acade-  
miae Nutritoribus professio logices & philoso-  
phiae primae. Non est animus in praesenti lau-  
dare STAHLIVM & SLEVOGTIVM, quod per sua  
philosophica dogmata non illustrauerint solum  
Ienensem Academiam: sed & in summum fastigi-  
um eduxerint: quum in cultioribus orbis terrae  
partibus & academiis Europae superstites sint  
candidi illorum aestimatores, & amplificatores, ex  
quorum disciplina prodierunt, praestantes. Pau-  
ca

ca





ca hic memorabo, vt quae fecerit in altero munere, adpareat luculentius. Id cupienti quadam ex parte indicare etiam poterunt disputationes, quae typis exscriptae sunt philosophicae, tam theoreticae, quam practicae. Atque in his magnam laudem habet disputatio de lumine naturae in diuinis & iis rebus, quae ad religionem pertinere videntur. De caussa morali, de indifferentiis voluntatis humanae, de voluntario, & peccato morali, ciuitate, potestate legis in republica; de contradictione, neque accuratione maiore quisquam, neque industria, nec studio, & egit & scripsit. Similiter quae de creatione in genere per tres disputationes, & duas de creatione primi hominis contra Ebraeos; de supernaturali, de primo conceptu Dei nostro intelligendi modo, de principio syllogizandi in diuinis, de vbiuitate essentiae diuinae, de vbiuitate operationis diuinae, de vbiuitate Dei ratione scientiae ac visionis publicatae sunt, aperte exponunt summum ingenium, exquisitam lectionem, & singularem industriam. Quae habuerit tunc temporis cum famoso apostata, & iis qui e Lutheranis Papales, vt quidem audire volunt, Catholici facti, iam non adtinet repetere.

E

Prae-



Praeclara atque eximia fuerunt, de quibus ingressus fui dicere: alia tamen restant, quae etiam breuiter recensenda sunt. Laudatus adhuc ut philologus & philosophus: iam quoque ut theologus laudandus est. Secundum Platonis sententiam is verus habetur philosophus, cuius mens instructa non modo rerum humanarum scientia, & pectus cognitione est infectum; sed etiam qui diuina curat: id faciebat SLEVOGTIVS, postquam ad diuinarum rerum cognitionem cura omnique studio rapiebatur.

Qui ita desudent & elaborent in rebus suis; nostro tempore mira est paucitas: qui philosophiam, philologiam & theologiam vna exercere possint. Sunt etiam, qui dicunt, eum qui bonus sit philologus aut grammaticus, malum philosophum: & qui bonus sit philosophus, malum esse philologum & theologum. Equidem constat hodie, illos, qui linguas & accuratiora grammaticae praecepta in oculis habent, vix in antiquissima nobilissimaque philosophia versari: qua vero notitia destitutos, a veritate aberrasse saepius, & ad absurda quaedam ac blasphema delapsos, atque a recta in Deum fide cecidisse, exempla habemus plurima. Ita nouimus, quod qui ad physicam,  
diale-



dialecticam aut metaphysicam, & quae ab his primordia capit, theologiam animum adplicant, perraro elegantissimarum artium scientiam, antiquitatis selectioris notitiam, graecae latinaeque linguae eruditionem cum dicendi elegantia varietateque coniungant: id quod antiquissimis temporibus non ita factum est, neque fieri iam debet. Artes enim omnes communi inter se aptas vinculo, colligatasque tam arcte, vt separatae vim & aeternitatem suam tueri haud possint, nemo ignorat. Qui clari & docti nomen assequi volebat apud veteres, quamuis ad aliquam potissimum scientiam incumberet: reliquas tamen non contemnebat, sed quicquid ad interiores litteras faciebat, discere allaborabat. Ita constanti fama atque omnium sermone celebrantur Plato, Demosthenes, Aristoteles, Varro, Cicero, aliique; vtpote omnium doctrinarum studiosissimi. Per imparem docendi discendique rationem apud nos fit, vt ad tanta adspirare non possimus cum veteribus.

Qui philologiam sine philosophiae praesidiis tractare audent; cum philosophiae sit ornamentum philologia, illa autem huic firmamento, illi postero tempore valde errasse conquerentur. Et qui linguas ex theologia tollunt inprimis ebraeam




& graecam, quas duas alas Augustinus vocat; oculos sanctissimae scientiae tollunt, pupillam erunt, & nervos succidunt opticos: nam sine linguis theologiam adire qui vult, facere idem videtur ac velit ingredi sine remis velisque pelagus.

SLEVOGTIVS nullam scientiarum non partem complexus; quare in scientiis consummatissimus, linguarumque callentissimus iudicatus est: quae singula vt in singulis digna sunt, quae memorantur; ita in eo vno fuisse ad vnum omnia eximia, & tam copiose & abundanter conuenisse, maximam mouet admirationem. Philologico, philosophico munere admirabili laude perfunctus est: ac ne quicquam deesset, theologiae sanctae accuratissime intentus fuit; huiusque doctores antiquos praesertim, & recentiores secutus diligentissime. Difficile est relatu, qua vsque cura theologiam coluerit, quae legerit & commentatus fuerit. In aliis habeo, quod iam inducam: illum ad sacri codicis interpretationem, locorumque difficiliorum illustrationem omnes cogitationes laboresque direxisse. Quandoquidem enim omnibus munitus praesidiis, in intimos & abditissimos scripturae sacrae sensus penetravit; & exegeticam, dogmaticam que theologiam docuit facili negotio: quibus assequatur,

batur,





batur, vt magni ad se audientium concursus fierent, tam docto & tam sapiente vti doctore in omnis sapientiae studiis. Narrauit mihi magnae vir auctoritatis atque prudentiae, illum magnum quoddam opus suscepisse; sed mortem praematuram intercepisse, publicoque inuidisse commodo: quod si vita contigisset, habituri essent maiora ingenii iudicijque monumenta. Quando enim non tam accurate & exquisite elaborata sua scripta edebant alii: ille sine profunda meditatione, cura & studio vulgavit nihil.

Atque haec tanta in SLEVOGTIO doctrinae vis, ingenii acumen, egregia animi alacritas & praestantia tanto fuit omnibus admirabilior gratiorque, quanto vitae sanctitatem coniunxit cum illis arctius. Omnium harum virtutum fama impulsit sapientissimi Principes; obtulerunt benignissime professionem theologiam; quam amplitudinem repudiavit & muneris dignitatem demississime modestissimeque; inter mandatam se spartam constanter tenere desiderans, vt philosophiam, quo bono nullum optabilius, excoleret, tueretur & augetet magis. Id nauabat porro operam, vt Aristotelis, Platonis philosophiam propagaret in Academia, verumque huius vsum ostenderet

E 3

deret



deret cultoribus. Neque vero ingenuos doctores scholasticos, ut ex disputationibus perspicere licet, praetermittebat: quae utilia, docta, & vitae usu digna adnotabat, & postea docebat; obscuris, sordidis, friuolis reiectis plane, quibus vero multi magistri plerumque deliniunt imperitos.

Sed SLEVOGTIVS effugere non potuit, quin certo tempore visitationes ecclesiasticas, qua Ienensem praefecturam & dioecesim institueret: in hac functione, quam clementissimo mandato subiit, gravitatem, animique sui moderationem, qua laude Nepotianum suum cumulat Hieronymus etiam, declaravit omnibus. Hinc mirati alii humanissimi viri benivolentiam; alii praedicarunt rectissimae vitae exemplar, alii abesse a tanto viro naeuos omnes fassi sunt ingenue. Lactantius Firmianus quo nemo disertius, & Tullianam facundiam propius scripsit, Cyprianum Latinae ecclesiae patrem amplissimis ornat verbis institutionum libro quinto: quod in aliis fuerit ingenio facili, copioso, suavi, & aperto. Parem atque eandem laudem tribuunt maximi viri in scriptis; & superstites, qui vel docentem vel disputantem audiuerunt, in docendo facilitatem, in instillando felicitatem, in enucleando suauitatem, in iudican-


do



do perspicacitatem verbis satis exprimere non possunt.

Collegii philosophici summam Decanus per vices administravit undecies: fasces academicos vnanimi suffragatione suscepit ter, & quod ad conseruandam Academiae dignitatem necessarium, incredibili fide & circumspectione multiplici patrauit. Ex omnibus rebus humanis nihil est praeclarius, aut praestantius, quam de Academia bene mereri: hoc parabat, meditabatur, cogitabat SLEVOGTIVS: vt Academiam nimis afflictam & oppressam miseris annis & perditis moribus in veterem dignitatem vindicaret. Quae res, quaeso, *Auditores*, vnquam erit commendatior hominum memoriae sempiternae, quam SLEVOGTII? Nam cum superioribus temporibus attritissima essent Academiae Ienensis bona, vt vocant, dotalia; stipendia & honoraria propter bellorum truculentiam nulla dependerentur professoribus: noctes & dies nihil aliud agebat, nihil curabat, nisi vt bona illa repararentur, neque decederet aliquid, aut studiorum honori, aut dignitati profitentium. Maxima spes residebat illo tempore in auctoritate, qua pollebat, gratia & virtute: prosequerentur ipsum aulae: & quia sollicitare & humilibus






milibus & demissis precibus supplicare Principibus non intermittebat, quod & ab omnibus summa cum admiratione laudabitur in perpetuum, perfecit & obtinuit, ut bona in integrum restituerentur, professores recrearentur, & Academia, ubi miserabilis squalor est visus, seruaretur liberaliter. Nullus ergo non videt, quam curae ipsi cordique fuerit salus & dignitas Academiae: atque si nulla in illam alia essent merita, pro his summo viró a beata morte omnes habendi honores, gratiaeque referendae SLEVOGTIANAE familiae.

Multa sunt alia, ex quibus vere laudare SLEVOGTIVM possem, nisi modus statuendus aliquis orationi meae esset: & quia illa consecrari non sustineo; comprehendam aliquid adhuc breui. Beneficia quae in calamitosos, & egentes huius urbis ciues contulerit, sunt innumerabilia: iuuabat opibus suis; & saepius fortunas illorum malas leuabat; sine turpi vsura commodabat, & benigne faciebat miseris. Nulla praeterea re auxit benignitatem magis suam, quam postquam honestorum typographorum angustias & necessitates leuare cupide elaborauit; qui non sua culpa magnis & duris incommodis conflictabantur, sed fortunae inuolubilitate tristissimorumque temporum iniuria

ria







ria eo redacti, vt non haberent, vnde artem tu-  
erentur typographicam, seque cum suis sustenta-  
rent. Hac liberalis ac benefici animi praestan-  
tia factum est, vt vnus omnibus ante alios carissi-  
mus, atque non ipsis tam salus cara, quam pie-  
tas fuerit in referenda gratia iucunda. Ita gratus  
fuit summis, priuatis, infimis: in aulis placuit per  
inclita merita: animum oculosque in se conuertit  
procerum: in Academia habuit collegas coniun-  
ctissimos; studiosos, qui illum colebant & obser-  
uabant; in ciuitate ad se pertraxit reliquos, officio,  
caritate & beneficio deuinctos.

Credite mihi, *Auditores*, si, quae de SLE-  
VOGTII laudibus dixi, longiora cuipiam videan-  
tur, plura longe restare; nihil enim in vita fuit,  
quod non mereatur laudem: laudabile totius vi-  
tae institutum extollendum amplissime, e cuius  
etiam perenni contestataque virtute exempla ena-  
scantur. Talis virtus & indoles, qualis in illo ex-  
titit, in aliis non deprehenditur: benignior natura  
omnia sua in eum munera contulisse visa est: qui-  
bus omnes consummatae doctrinae numeros im-  
pleuit. Philosophus fuit summus, philologus  
excellens, theologus doctus & pius, orator praecla-  
rus, poeta insignis.

F

Ceterum



Ceterum hac occasione matrimonium praeterendum non est; & quia ruptum semel commemorandum potius, quodque secundo debuit instaurare. Amplissimi huius loci syndici Wolfgangi Freyeri filiam eximiam Ursulam, castissime adamatam domum duxit, anno reparatae salutis labente millesimo sexcentesimo vicesimo septimo: ex qua ipsi prognati sunt filii tres, & vnica filia. Filii duo & filia, quam Ioannes Frischmuthius professor linguarum orientalium celebratissimus in matrimonio habuit, ante multos annos diem obierunt supremum. Filius autem natus secundus, reuerendus clarissimusque vir Ioannes Slevogtius, philosophiae magister, & pastor prope Vinariam bene meritus superstes est, quem vt seruet in posterum Deus felicem fortunatumque, pia nuncupatio vota.

Cum vero nullius rei mortalibus aeterna possessio est: sed quicquid conceditur, eripitur etiam, & transit nobis haut sentientibus: hoc est expertus SLEVOGTIVS, dum vxor propter varias animi virtutes & corporis praestantiam carissima praeter opinionem erepta, quo non parum casu fortuna & res domesticae turbatae. Sed Deo, qui omnia prouidet & dispensat, paruit, composito mortem



tem animotulit, atque calamitatem domesticam, quam tamen is mutare & emendare non potuit. Quattuor annos ipsos viduam egerat vitam, ex quo de secundo tandem matrimonio cogitavit. Itaque nobilissimi prudentissimique viri Henrici Ringleri in oppido hoc iudicis meritissimi filiam, virginem lectissimam sibi poposcit. Hanc sequenti tempore complectebatur incredibili studio, amore, sanctitate, vt vitae solatium certissimum, vt foecundam & liberorum amabilem matrem, immo cunctarum rerum & fortunarum sociam fidissimam. Poetarum sapientissimus Euripides vere iudicat, illos scilicet beatissime praeter ceteros vivere, nec quidquam pretiosius in rebus humanis possidere statuit, quam coniugium habere felicius: vbi caritas sincera, mutua reuerentia, animorum consensio, & conspiratio amica perpetuo sit.


Tale coniugium heic ita laudandum est, vbi omni tempore mutua adquiuerunt beniuolentia & amore dulcissimo. Benignissimus illud Deus fortunatum esse iussit: filios enim tres, & quattuor filias ex ipso peperit iucundissima vxor. Equidem filius natus maximus, & filiae omnes citius abolerunt mortalitatem; duo autem filii celeberrimi in hac Academia professores immenso Dei benefi-



cio viuunt, & paternum decus non modo propa-  
gant, sed & amplificant: pro quorum vita & pe-  
renni incolumitate deuotissimis precibus imploro  
Deum, qui piis melius, quam optare audent, con-  
cedit, illumque veneror & obtestor, vt sospitet,  
custodiat, protegat; familiaque illorum laetissi-  
mis florens auctibus perennet.

Sed temporis nunc ratio habenda est: quare  
de beata SLEVOGTII morte vel paucissima profe-  
ram. Si mortis recordatio & commentatio tota  
philosophorum vita est; ille moriendi artem prae-  
clare didicit, atque per omnem vitam, vt pii chri-  
stiani habitum est, se comparauit ad mortem:  
sancte & caste coluit Deum, & sua ipsi commen-  
dauit omnia. Diogenes cum aliquando interro-  
garetur, quid praecipue didicisset ex philosophia,  
quam perpetuo professus; respondebat, praeuide-  
re aduersa, & cum euenerint illa, patienter per-  
ferre. Ita quanquam plura affligerint nostrum  
acerba & dura; terrere, infringere & debilitare  
non poterant, utpote qui semper de illis aequo  
tolerandis animo cogitarat. Clades & mala ab  
coelesti numine sibi immitti credebat, beneficii-  
que loco illa etiam habebat: laudabat volunta-  
tem Dei & praedicabat laete: vnde veram, pieta-  
tem






tem adgnosere licet. Iam ego persequi nolo,  
quanta in bellis, quae patriam infestarent, passus  
fuerit: in his non commisit, ut animum demitte-  
ret. Permissus sibi erat in omnibus, mortem etiam  
non extimescens. Hypochondriacos, & dolores  
ischiadicos, habuit: neque dubitandum est, quin  
praeceps olim prolapsio, & multus sanguis pro-  
fusus adcelerauerit mortem. Factum itaque est,  
ut vitae & aerumnarum latur, in vltima necessi-  
tate piorum precibus firmatus, ac Christo vnice  
adhaerens placidissime obdormisceret.

Haec est laudatio vitae SLEVOGTII: cuius  
gloria perdurabit, & intemerata laus. Viuet in  
nostris animis, licet compages corporis iam du-  
dum dilapsa in puluerem. Virtutes commone-  
faciant nos, ad quas mentem conformemus no-  
stram: cogitemus, qui fuerit in vita, quae fece-  
rit in Academia, imitemur exemplum quod prae-  
bet sine exemplo. Tu vero beatissima, atque o-  
mni ex parte triumphans anima salue,  
& aeternum vale.

D I X I.

GENE.





GENEROSIS ET NOBILISSIMIS  
DOMINIS COMMILITONIBVS  
S. P. D.

GEORGIUS SCHVBARTVS, D.



*V*per admodum in cathedra stetit e-  
gregie commilito, verus Baieriana  
laudis praeco: quem luce crastina,  
hora secunda pomeridiana, secutu-  
rus est humanioris doctrinae ac philosophiae  
cultor praecclarus, GEORGIUS NICOLAVS  
KRIEGK, Isenacensis. Hic vero laudabit  
Paulum Sleuogtium, virum de academia no-  
stra optime meritum. Si qui enim spatium  
temporis praeteriti respiciunt, quoad possunt  
longissime, non facile inuenient alium, qui libe-  
rales artes & philologiam tam feliciter coniun-  
xerit cum vera sapientia. Praeter linguas, eru-  
ditorum proprias, magna industria cultas &  
elegantia, totum prope orientem sibi concilia-  
uit. Adeo quippe in studio sacrarum lingua-  
rum proceserat, ut superaret plerosque omnes,  
qui




qui hisce innutriuntur aut per otium, & ut lu-  
 crum inde captent, aut ad vanam ostentatio-  
 nem. Nihil optabat magis, quam commoda  
 discentium, nihil agebat tanta cum cura, &  
 sollicitudine, quam ut per haec studia sacrarum  
 litterarum interpretatio facilior esset. Testan-  
 tur hoc satis monumenta ingenii, quae reliquit  
 varia, praeclara, incomparabilia. Si molem  
 estimare velimus, aut numerum, in compara-  
 tione cum aliorum scriptis, minora quidem e-  
 runt: si contra estimemus doctrinam, & iu-  
 dicium acre, in difficilioribus praesertim quae-  
 stionibus explicandis, non sane poterit in con-  
 tentionem mitti. Iuvat non parum haec stu-  
 dia singularis eius in philosophia habitus & sci-  
 entia. Neque vero tractavit eandem, ut  
 subtilior tantum videretur aliis, sed ut veri-  
 ora nosset, aliosque docere posset. Quid enim  
 obsecro est sapere, aut philosophari sobrie,  
 quam ea quae scimus, & animo complectimur,  
 disertis verbis, & oratione consentanea ex-  
 plicare



Ze 5575

OK



plicare discipulis? Contra qui minuta, aut nullius pretii quaesita per ampullas tradunt, & miras ambages, quid aliud illi agunt, quam ut data opera desipiant, & nihil in vita communi efficiant utile. Ab istorum ordine abfuit noster longissime, & vera sapientia nihil pulcrius habuit, nihil in rebus humanis diuinius. At quis perpetuam ipsius cum bonis consensionem, ac similitudinem voluntatis honeste predicabit ex meritis? Hæc magni animi, ac sapientis est profesio, colere amicitiam, & iunctam cum aliis bene habere. Si quæ virtus decet optimum quemque, hæc illa erit. Tanta igitur honestas in eo, tanta meretur beatissimi viri doctrina, ut eandem recolamus hodie. Facite igitur, o carissimi, & per spatium mediocre adeste in auditorio theologico, quo sentiant omnes, nos neque a doctrina & virtute alterius esse alienos, neque in maiores optime meritos nos esse ingratos P.P.  
A. D. XX. MAII clb Idc XCVIII.



DM

m. 15





GK. 273.

OR  
MEMORIA  
VIRI  
PAVLIS

PROFESS  
DICATA  
IN ILLVSTRI  
A. D. XII IDV

GE. NICOL



EX OFFI

Ze  
5575

MECA  
ANA

